

memento homo, quia pulvis es, et penitentiam ages: memento homo, quia pulvis es, et bonis operibus faciendis incumbes: quibus mediantibus, æternam felicitatem comparabis. Amen.

FERIA V ANTE DOMINICAM PRIMAM.

DE FIDE.

Non inveni tantam fidem in Israël (Matth. 8).

Totus admirabilis fuit Centurio ille, de quo hodiernum Evangelium: et ut ait sanctus Joannes Cryostomus (Hom. 22 in Math.), vix concipi potest, quid in eo sit majore admiratione dignum, an humilitas, an fides, an sapientia, an bonitas et charitas erga servum: *Vix scio quid primum admiremur in Centurione, humilitatem, aut fidem, aut sapientiam, aut bonitatem.* In eo, ut subdit Os illud aureum, miranda est humilitas: *quia in domo Christum suscipere dignum se esse non aestimavit.* In eo mirabilis est fides: *quia credidit Christum posse quod ipse petit.* In eo mirabilis est sapientia: *quia divinum thesaurum absconditum in agro terreno, non acumine oculorum, sed mentis puritate, nullo demonstrante, prospexit.* Mirabilis tandem in eo bonitas: *quia pro servi salute maxime sollicitus fuit.* Omnia quidem in hoc homine mirabilia: audio tamen Christum Salvatorem, qui laudandæ et extollendæ ejus fidei totus incumbere videtur, et qui palam fatetur, se tantam in Israël non invenisse fidem: *miratus est, et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël.* Admiremur Centurionis fidem, et ex ea occasionem de fide dicendi sumamus. *Ave.*

Fidem ut quid homini viatori inutile, et nullo modo necessarium autumant Gentiles philosophi, et licentioris vite homines, dicentes, lumen naturale cuique sufficere, nec hominem

supernaturali fidei lumine quomodocumque egere. Magna quidem hujusmodi hominum cæcitas, adversus quos fidem divinam et supernaturalem homini viatori maxime necessariam esse probabimus; *et hæc erit prima hujus concionis pars.* Fidem Christianam et ejus dogmata, quid vile et contemptibile esse arbitrantur viri illi superbi, qui forti, sublimes et excelso ingenio se pollere gloriantur, et ideo de fidei mysteriis interdum palam garrunt, eaque desipiunt et contemptui habent. Hi sane fidem non despicerent, si ignari non essent et maligni, eorumque patebit inscitia et malitia, cum fidei excellentiam et præstantiam propalabimus; *et hæc erit secunda concionis ipsius pars.* Fidei injuriam faciunt Christiani illi desides, pigri, et salutis suæ obliviosi, qui acceptam a Deo fidem debitis qualitatibus non exornant. Istos autem docebimus qualitates, quibus in homine Christiano fulgere debeat fides; *et hæc erit tertia pars hujus concionis.* In prima ergo parte videbimus fidei necessitatem; in secunda præstantiam illius; et in tertia ejus qualitates. *Fidei necessitas, præstantia, et qualitates:* en tres hujus concionis partes.

I PARS.

Fidei necessitas.

Fidem nostram Deo gloriosam esse certum est, quia per fidem illum honoramus, dum illi intellectus nostri sacrificium offerimus. *Fides est quasi capitalis honorificentia Dei* (S. Bern. Sen.). Fides autem, quæ Deo est gloriosa, est etiam homini maxime necessaria: 1° Ut Deum cognoscat; 2° Ut Deo placeat; 3° Ut ad Deum vadat.

1. Deum existere, eumque unum esse solo rationis lumine cognoscere possumus; at sine fide cognoscere non valemus, quid sit ipse Deus, quæ et quantæ sint ejus perfectiones, quot in Deo sint Personæ, nec non alia multa Divinitatis mysteria. Quia sicut sol ab homine videri non potest, nisi proprios ipse

emittat radios, quibus mediantibus videatur, ita nec Deus ab homine perfecte cognosci potest, nisi ipso fidei radiis illum illustret, quibus mediantibus ad perfectam ejus cognitionem veniat. *Sicut sol videtur solum propriis radiis, sic Deus solum videtur radiis fidei* (D. Bonav. *De don. Spiritus Sancti*). Deus est Sol intelligens, qui duplicis generis radios emittit, et creaturis suis infundit, ut ab iis agnoscat; aliis enim Sanctos qui beantur in Cælo, et aliis homines qui in hoc mundo peregrinantur, radiis illuminat. Radii quos in Cælo effundit, sunt ipsum lumen gloriæ, quo mediante, Sancti eum vident, et facie ad faciem intuerunt, *in lumine tuo videbitur lumen* (Psalm. 35, 10). Radii vero, quibus hominum viatorum mentes illuminat, ut ab iis cognoscatur, sunt ipsa fides, quæ ad cognoscendum Deum iis ita necessaria est, ut sine fide eum perfecte cognoscere nequeant. *Deus solum videtur radiis fidei*. Summo Deum agnoscendi desiderio angabatur olim sanctus Justinus Martyr, et ideo ut ad perfectam Dei notitiam pervenire valeret, varias philosophorum lustravit Academias. Adivit primo Stoicum quemdam, qui quasi sol et scientiarum numen habebatur; qui tamen quis et qualis esset Deus, penitus ignorabat, quique ut velo quodam suam tegeret ignorantiam, Justino respondit, *neque Dei notitiam esse necessariam*. A Stoico ad Peripateticum quemdam, quem ipse acutum censebat, perrexit, cui iste latissime et subtilissime de natura disseruit, stolidè autem de naturæ Auctore, nec diu locutus erat, cum a Justino mercedem et doctrinæ suæ pretium petiit. Et ideo videns sanctus Martyr philosophum hunc in rebus divinis esse ignarum, et lucri magis quam veritatis cupidum, ab eo discessit, et ad Pythagoricum quemdam magni nominis virum, accessit, qui de Musica, Geometria, et Astrologia fuse disseruit; de Deo nec quidquam dicere scivit. Quare ad Platonium aliquem philosophum, inter huius sectæ viros famosissimum, se contulit; qui mox de natura universalis, de ideis communibus, et de primis illis exemplaribus, quæ fingeant Platonici, sermonem instituit; at de Deo, et de prima Veritate non nisi confuse locutus est. Auditis autem

tot mundi sapientibus, in rebus divinis doctior factus non erat Justinus, cum ecce ad eum missus est a Deo venerandæ caritativæ vir, a quo didicit quod concupiverat; a quo Dei et Christianæ Religionis notitiam et fidem ex auditu habuit, et plane novit Deum et divina sine fidei radiis perfecte cognosci non posse. Quia *Deus lucem habitat inaccessibilem* (2. Tim. 6, 16); et intellectus nostri acies ad ejus perfectam cognitionem pervenire nequit, nisi adveniat revelatio divina et fides. Homini ergo necessaria est fides, ut Deum cognoscat: *ac etiam ut Deo placeat*.

2. Gentiles qui Deum sine fide cognoscere voluerunt, in varios et horrendos inciderunt errores circa Divinitatem. Alii enim bruta animantia tanquam deos adoraverunt; alii marmoreis, ligneis, argenteis et aureis simulachris, tanquam suis divinitatibus, incensa adoleverunt: alii Deo oculos eruerunt, dicentes, eum omnia quæ sub cælo fiunt, non videre; alii brachia illi sustulerunt, aiens, eum non esse omnipotentem; alii cor ei evulserunt, asserentes eum suas omnes non amare creaturas. Hi ad perfectam Dei notitiam pervenire non poterunt, quia ad illum agnoscendum fides necessaria est: nec etiam placere Deo poterunt, quia fides ita necessaria est homini ad placendum Deo, ut sine fide nullo modo ei placere possit: *sine fide autem impossibile est placere Deo* (Hebr. 11, 6). Charitas, humilitas, patientia, et aliæ virtutes Deo plurimum placent, eique hominem gratum, amabilem et acceptabilem faciunt, supposito semper, quod simul cum aliis virtutibus, in eo sit fides: sine fide enim homo Deo placere nequaquam potest. Quamvis altissima præditus sis humilitate, modestia polleas angelica, et patientia in te fulgeat heroica: facultates tuas licet pauperibus eroges, licet toto vitæ tuæ tempore jejunes, ac gravissima quæque perferas supplicia; si fidem non habeas, Deo placere nullo modo potes, quia *sine fide impossibile est placere Deo*. In qua D. Pauli verba, Glossa interlinearis ait: *Vide, quam necessaria sit fides*. Certe maxime necessaria est, cum sine ea Deo placere nequeamus. Quocumque te vertas, inquit S. Thomas a Villanova, quidquid cogites,

quidquid agas, ubique et semper tibi fides necessaria est: quia *sine fide impossibile est placere Deo: cum hæc salutis initium, hæc vitæ sit janua*. Tunc Deo placemus, cum justi sumus; justi autem esse non possumus sine fide, quæ est justificationis initium et fundamentum: quare sine fide impossibile est nos placere Deo: *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix justificationis, sine qua impossibile est placere Deo*. Igitur fides homini necessaria, ut Deo placeat, *est ei etiam necessaria, ut ad Deum eat* (Trid. Sess. 6, c. 8).

3. Humilitate, patientia, aliisque christianis virtutibus ad Deum imus, posito tamen quod fidem habeamus. Fides enim est prima virtus, qua ad Deum pergitur; et impossibile est quod sine fide ad Deum eamus: *credere enim oportet accedentem ad Deum* (Hebr. 11). O homo infidelis, visne ad Deum ire, et in ovile ejus ingredi? *credere oportet*. O peccator, qui Deum criminibus tuis reliquisti, vis ad illum per veram vitæ mutationem reverti? *credere oportet*. O homo, tu qualiscumque sis, vis salvari, et ad Deum, qui in cœlis est, preparare? *credere oportet*. Fides enim est via, qua ad Deum imus; est stella, qua ad illum ducimur; est columna, qua duce ad illum pergitur; nec ullus prædestinatus salvatur, et ad Deum vadit sine fide: *una eademque fides omnes prædestinatos perducit ad Deum* (Aug. 18 de civit. Dei, 17). In somnis Jacob scalam vidit, quæ extremitate una terram, et alia cœlum tangebatur; viditque Deum summitati hujus scalæ innixum, et *Dominum innixum scalæ* (Genes. 28, 13). Scala hæc, inquit Doctor Seraphicus, est ipsa fides: *Fides est ista scala, continens duodecim gradus, id est duodecim articulos fidei per Apostolos declaratos*. Unde, ait sanctus Doctor, quicumque ad Deum, qui scalæ innititur, ire cupit, ad illum per fidei scalam ascendat necesse est: *per istam scalam ad Deum ascenditur*. Triplici via ad Deum itur, et triplici scala ad illum ascenditur. Prima est lex Dei, quæ decem constat præceptis, quibus, tamquam tot huius scalæ gradibus, ad Deum fit ascensus: *Si vis ad vitam ingredi serua mandata* (Matth. 19, 17).

Secunda est crux, seu tribulationes, quibus ad Deum ire, et ad cœlum omnes ascendere debent: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (Act. 14, 22). Tertia scala, qua ad Deum ascenditur, et sine qua ad Deum ire et salvari nemo potest, est fides: *per istam scalam ad Deum ascenditur*. O homo, vis Deum cognoscere, Deo placere et ad Deum ire? ad hæc omnia absolute necessaria est fides. Vis Deum perfecte cognoscere? habeto fidem. Vis Deo placere? habeto fidem. Vis ad Deum ire? habeto fidem: sine fide enim cum perfecte cognoscere, ei placere, et ad eum ire non potes. Itaque cum tanta sit fidei necessitas, Deum enixe rogate, ut fidem det, et in cordibus vestris augeat. Dicite ei ex summo cordis affectu: *Domine, adauge nobis fidem* (Luc. 7, 5). Dicite ei: Domine, fides nobis necessaria est, ut te, tuasque divinas perfectiones agnoscere valeamus: ideo te supplices rogamus, ut fidei radiis nos illumines, utque fidem in nobis augeas: *adauge nobis fidem*. Dicite ei: Domine, ita miseri sumus et infelices, ut tibi nunquam placere, vel aliquid tibi placitum facere possimus, si desit nobis fides, propterea a te suppliciter petimus, ut des, et in nobis augeas fidem: *adauge nobis fidem*. Dicite tandem ei: Domine, ad te suspiramus, et ad te ire cupimus; sine fide autem ad te ire non possumus: quapropter supplicemus tibi, ut cordi nostro fidem, et fidei incrementum largiri digneris: *adauge nobis fidem*. Ecce quanta sit fidei necessitas; videamus nunc ejus excellentiam.

II PARS.

Fidei præstantia.

Postquam de fidei laudibus fuse disseruit D. Paulus, fatetur sibi ad enarranta fidei magnalia, tempus deficere: *deficiet enim me tempus enarrantem* (Hebr. 11, 32). Tot quidem et tanta de fidei præstantia occurrit dicenda, ut in eis enarrantis nullus unquam esset dicendi finis: verumtamen ut ex multis aliqua colligam, dicam solummodo, fidem esse quid præstantis-

simum: quia fides: 1. omnia potest; 2. omnia obtinet: 3. de omnibus triumphat.

1. Tanta est fidei potestas, ut de ea, sicut et de Christo, dicere possimus, quod omnia possit: *data est mihi omnis potestas in celo et in terra* (Matth. 28); fides enim omnia potest, et nihil est impossibile fidem habenti: *omnia possibilia sunt credenti* (Marc. 9). Quod ut non minima cum exaggeratione dictum credatur, quid, quæso, gravius montibus? quid ponderosius? quid immobilibus, et ad transportandum difficilioribus? fides tamen ex uno in alium locum montes transferre potest. Quid rupe insensibilis, et ad obediendum ineptius? fides tamen immobilis rupi dat motum, eamque recedere cogit, quantum necessarium est, ut locum ad ædificandam Ecclesiam idoneum præstet. Quid difficilior, quam maris tempestates sedare, procellosos ejus motus comprimere, et ejus aquis soliditatem conferre? unius tamen viri fides maris tempestates sedat, illudque solidum, velut æs efficit. Nonne fide Eliæ factum est, ut nubes nec rorem, nec pluviam darent? nonne fide Eliæ vindixit ignis de celo descendit; nonne fide Josue stetit sol? fide Stephanus sibi cælos aperuit: Israëlite *fide transierunt mare rubrum*; *fide muri Jericho corruerunt*; *fide Rahab meretrici non perit cum incredulis*, fide dæmonia ejecerunt Sancti; fide cæcis visum, surdis auditum, mutis loquendi facultatem dederunt, neonon alia multa miracula operari potuerunt: fides tandem omnia potest; per Deum scilicet, qui habentibus fidem dedit potestatem omnia faciendi: *omnia possibilia sunt credenti. Amen, amen dico vobis*, inquit Christus, *qui credit in me, opera que ego facio, et ipse faciet*. O mirandam fidei potestatem, quæ potestate Christi æquiparatur! O mirabilem fidei virtutem, cui datur potestas faciendi portentosa multa, quæ fecit Christus! Crede et opera ipse facies, quæ ille fecit. Petes, quomodo fides potestatem Christi potestati similem habere potest? Respondent Rupertus Abbas, Theophylactus, et sanctus Cyrillus, tantam fidei, quantum Christi, esse potestatem: quia fides agit per virtutem et potestatem Christi: Quare, cum Christi potestas sit infinita et illimitata, fidei etiam

potestas nullos habet terminos; et fides omnia potest per Christum, qui credentibus suam confert potestatem, eisque omnia possibilia esse vult: *omnia possibilia sunt credenti*. O mirandam præstantiam et excellentiam fidei! quæ tanta est, ut omnia possit: *Verum etiam tanta est, ut omnia obtineat*.

2. Miramur, cum audimus, tantam esse fidei virtutem, ut sanet infirmos, expellat dæmones; montes transferat, et omnia possibilia faciat: *omnia possibilia sunt credenti*. Quomodo fidei, et homini fidem habenti omnia sunt possibilia? omnia sunt ei possibilia per interpretationem: quia a Deo, qui omnipotens est, omnia obtinet: *Omnia*, ut exponit Liranus, *sunt fidei possibilia per omnipotentiam Dei: quia Deus postulantis cum fide, omne beneficium imperit*. Hominis Christiani fides ita Deo placet, inquit S. Ambrosius, ut nil non a Deo obtineat, præsertim si cum humilitate jungatur: *Fides Christiana per humilitatem omnia impetrare consuevit*. Cum Centurio a Christo servum suum paralyticum sanari petiit, respondit ei Christus: *Vade, et sicut credidisti, fiat tibi* (Matth. 8). Homo ille a nativitate cæcus, qui ad Christum transeuntem clamavit, ut ipsius miseretur, ab eo videndi facultatem obtinuit per fidem: *fides tua te salvum fecit* (Luc. 18). Mulier hæc, quæ sanguinis fluxum a duodecim annis patiebatur, fide sua sanitatem a Christo impetravit: *fides tua te salvam fecit* (Matth. 9). Fide alii multi a Christo sanari meruerunt: *cum vidisset fidem illorum* (Marc. 2). Quomodo S. Petrus ad supremum Ecclesiæ solum evehi, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ Caput fieri meruit? nonne per fidem? nonne quia Christum æterni Patris esse Filium firmiter credidit? nonne quia humiliter fide confessus est, Christum esse Dei Filium? *Tues Christus, Filius Dei vivi* (Matth. 16). Quomodo sanctissima Virgo Maria, Christi Mater fieri obtinuit? qua virtute tantum favorem consecuta est? a quo ita felix facta est, ut Dei Genitrix esse mereretur? nonne a fide? nonne quia credidit? Certe per fidem ad tantam dignitatem exaltata est; *Beata que credidisti, quoniam perficerentur ea, que dicta sunt tibi a Domino* (Luc. 1, 45). Quomodo, et qua virtute potestatem faciendi miracula,

gratiam et gloriam a Deo impetrarunt Sancti? Virtute quidem fidei, qua præditi fuerunt; *per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones* (Hebr. 11, 33). Tanta tandem fidei ac præstantia, tanta virtus, ut omnia a Deo impetrare valeat: *fides christiana omnia impetrare consuevit*. At tanta etiam est fidei præstantia, *ut omnia vincat et de omnibus triumphet*.

3. Multis constat experientiis, victricem et triumphantem esse fidem christianam; *multa habemus experimenta fidei victricis* (Tert. lib. 3). Scimus enim Apostolos, et viros Apostolicos fidei ac præstantia, de regnis triumphasse, innumerosque populos legi Christi subiecisse: Sancti *per fidem vicerunt regna*. Scimus Martyres de ignibus, in quos injecti sunt, de gladiis qui adversus illos evaginati sunt, et de tyrannis qui in illos tamquam leones rugierunt, gloriose triumphasse: *obtulerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii*. Omnibus notum est, Ecclesiam per fidem insignes de hæreticis, de infidelibus, et de terrenis principibus victorias reportasse. Norunt cuncti, totum fore terrarum orbem fide fuisse debellatum, et Christi Salvatoris legibus subactum: *hec est victoria que vincit mundum, fides nostra* (Ioan. 5, 4). In his omnibus, et aliis multis habemus experimenta fidei victricis. Ut autem ampliores, et majores videamus fidei triumphos, dicamus, quod ipsa triumphet, vel quod per ipsam de dæmonibus et de passionibus gloriose triumphemus.

Dæmones sunt intensissimi hominum hostes, qui indesinenter circa illos volitant, quærentes quem devorent, quem a salutis via avertant, et ad tartara trahant; nos fide iis resistimus, et eos debellamus; fides est scutum admirabile, quo omnia eorum tela repellimus, et de cunctis eorum tentationibus triumphamus, *sumentes scutum fidei in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere* (Ephes. 6, 16). Tentat te satanas de avaritia, suadens, ut per fas et nefas divitias acquiras, tibi que thesauros facias in terra? *Sume scutum fidei*, quæ docet brevi te moriturum, nilque ex hoc mundo ablatum, et hoc scuto

armatus, de dæmone avaritiam inspirante triumphabis. Sugerit dæmon, ut luxuriæ indulgeas, et Veneris te fedes voluptatibus? *Sume scutum fidei*, quæ obscenas hujusmodi voluptates prohibet, carnisque mortificationem docet, et hoc scuto instructus, dæmonem talia suadentem gloriose vinces. Ad te venit malignus spiritus; ut ad vindictam de inimicis sumendam te excitet? *Sume scutum fidei*, quæ dicit tibi, quod si inimicis non dimittas, nunquam indulgebit tibi Deus, nec peccata dimittet. Si te spiritus nequam tentet ut ad fornicationem, adulterium, furtum, ebrietatem, detractiones et rapinas alliciat, *sume scutum fidei*, quæ asserit, quod neque fornicarii, neque adulteri, neque fures, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt (1. Cor. 6, 9). Quotiescumque tandem aggredietur te tartareus hostis, *sume scutum fidei*; præsto habe aliquem ex sacræ Scripturæ locis, vel aliquod ex fidei dogmatibus, quo armatus de illo facile triumphabis, omniaque ejus tela extinguas: *sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*. O magnam fidei præstantiam! Cujus virtute de dæmonibus triumphamus, *ac etiam de passionibus et vitis nostris*. Passiones et vitia sunt interni et domestici inimici, qui salutis nostræ insidiantur: *inimici hominis domestici ejus* (Math. 10). Inimicus noster est amor prophanus, quo intus abscindimur: inimicus noster est spiritus superbiæ, quo inflamur; inimicus noster est avaritia, qua exardescimus; inimicus noster est invidia, qua rodimur; inimici tandem nostri sunt ira, acedia, omnesque passiones et vitia, quibus impugnamur, et ad illicita trahimur. De his triumphabimus, si firmiter sacræ Scripturæ verbis credamus, et si ad auxilium nostrum vocemus fidem, quæ docet, quod si ex Christi discipulis esse velimus, carnem cum concupiscentiis ejus immortificare et crucifigere debeamus: *Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitis et concupiscentiis* (Galat. 5, 24). Hoc fidei scutum si sumamus de internis et domesticis omnibus inimicis gloriosum triumphum agemus. O quam præclari sunt triumphus fidei, quæ de regibus, de tyrannis, de mundo, de dæmone, de

vitiis, et de omnibus triumphat. O admirabilis excellentia et præstantia fidei! quæ tanta est, ut omnia possit, omnia impetret, et de omnibus triumphet. Ecce fidei præstantiam: *de ejus qualitatibus aliquid dicamus.*

III PARS.

Fidei qualitates.

Prima fidei qualitas est, quod sit humilis: *non est fides superborum sed humilium* (Aug. ser. 36 *de verbis Dom.*). Christianus enim, qui vere credit, non superbe scrutatur abdita Divinitatis, et religionis mysteria, sed propter Christum veritatis fidei suum humiliter captivatum intellectum, *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* (2. Cor. 5). Altera fidei qualitas est, quod sit ardens seu charitati conjuncta. Licet enim fides magnam quid sit in se, etiam sine charitate, nil tamen prodest ad salutem, si a charitate sit sejuncta, nec salvabitur qui fidem solam sine charitate habebit: *Magna est fides, sed nihil prodest, si non habeat charitatem* (Aug. tract. 6 in Joan.). Tertia fidei qualitas est, quod sit in bonis operibus producendis fecunda. Et ista est præcipua fidei qualitas, de qua sola jam disserere intendo, eamque qualitatem in fide maxime requiri dico: quia in homine adulto fides quæ non est fecunda et efficax, est: 1. fides diabolica; 2. fides mortua; 3. fides inutilis et vana.

1. Hortatur nos Christus, ut Dei fidem habeamus: *habete fidem Dei*. Nonne omnis vera fides a Deo est? nonne fides est donum supernaturale, a Deo hominibus concessum? Nonne fides est habitus supernaturalis homini in Baptismo a Deo infusus? Cur ergo hortatur nos Christus, ut Dei fidem habeamus; *habete fidem Dei?* (Marc. 11, 22). Non quidem sine ratione ad hoc nos hortatur Christus: quia in sacra Scriptura fit mentio de fide quadam diabolica; ibi enim dicitur de demonibus quod credant: *dæmones credunt* (Iac. 2). Hortatur autem nos Christus, ut non habeamus dæmonum, sed Dei fi-

dem. Hæc est differentia inter utramque hanc fidem, quod fides divina in adultis sit efficax, operans, et bonis operibus, fecunda *fides ex facto habet censum* (Tertul.); fides vero diabolica est fides otiosa, et inefficax, quæ nulla bona opera producit, nam *dæmones credunt et contremiscunt* (Iac. 2); at nullum bonum opus faciunt. Unde, si credas, et non facias, si fides tua non sit efficax, et in bonis operibus fecunda, tu credis instar dæmonum, fidesque tua diabolica est. Certum est, quod credant dæmones; *dæmones credunt*; ita vero credunt, ut non faciant. *Credunt* dæmones, Deum esse, sed nolunt illum ut Deum adorare et venerari; *credunt*, futurum generale judicium, quod omnibus terribile et formidandum erit; sed non ideo penitentiam agunt, nec ad Deum convertuntur; *credunt* Christum in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento vere et realiter sub panis et vini speciebus existere, sed non ideo illum ibi adorant: fides tandem dæmonum est fides quadam sterilis et inefficax, quæ bona opera non producit: ideo si credas, et non facias, si fides tua sterilis sit, et bona opera non efficias, fidem habes dæmonum, credis sicut dæmones, fidesque tua diabolica est. Dicis te credere Deum esse et tamen illum non adoras? Fides tua diabolica est. Dicis, te credere formidanda Dei judicia, et terribilia inferni supplicia, nec tamen ideo abrenuncias peccatis, nec ad Deum converteris? Fides tua diabolica est. Crede quantum volueris, si bona opera non facias, fides tua est fides diabolica: *et est etiam fides mortua.*

2. Sicut mortuum est corpus, in quo non est anima et spiritus vivificans, ita et mortua est fides, in qua, et ex qua non sunt opera bona: *Sicut corpus sine spiritu mortuum est; ita et fides sine operibus mortua est*. Cum vides arborem, quæ folia et fructus in tempore suo non producit, protinus eam mortuam esse judicas; fides similiter si bonorum operum fructus non edat, mortua est. Unde S. Bernardinus ait, fidem sine operibus similem esse huic ficulnæ, quæ non fecerat fructus, cui maledixit Christus, et mortua est: fides enim, si bonorum operum fructus non producat, est fides que-

dam maledicta et mortua, *fides sine operibus mortua est*. Sterilem et infœcundam se esse videns Rachel, marito dixit, *da mihi liberos alioquin moriar* (Gen. 30, 2): fides similiter, si filios non habeat, et si bona opera non edat, mortua est. Unde S. Bernardus fidem, quæ bona opera non producit, cadaver fieri vocat: *Quid est fides quæ non operatur, nisi cadaver exanime?* Et Tertullianus hanc fidem vocat *cadaverosam*: quia non est fides viva, sed quasi cadaver fidei. Cum in funebri pompa magnum vides populi conventum, petis protinus, quis sit ille qui ad sepulchrum defertur? et respondere solent adstantes, est dominus talis. At inepta est hæc responsio, quia non sepulchro mandatur dominus, sed cadaver, et corpus mortuum domini illius. Idem dicendum de Christianis adultis, qui credunt, et non faciunt, in eis enim non est fides viva, sed fides cadaverosa, cadaver fidei, et fides mortua: *fides sine operibus mortua est*. Fides autem sine operibus, *est etiam vana et inutilis*.

3. Inutilis est arbor, quæ non fructus, sed aliqua solum folia producit, *inutiliter flos apparet, ubi non sequitur fructus* (S. Bern., Serm. 51 in Cant.). Fides similiter, licet florida, licet speciosa, et licet donum supernaturalis sit, inutilis tamen erit et ad salutem nil proderit, si bonorum operum fructus non producat: *Quid proderit, fratres mei, inquit S. Jacobus, si fidem dicat quis se habere, opera autem non habet?* Quasi dicat, nil proderit, seu ut exponit Liranus, *nihil proderit ad salutem*. Deficiente oleo, extinguatur et inutilis est lampas, fides autem sine operibus *est lampas sine oleo*, inquit S. Hieronymus, quia sicut lampas sine oleo inutilis est, ita et fides sine operibus. Quærite a divo Paulo, quanti pretii, quantique valoris sit fides, si charitatis opera non producat? Respondebit Doctor gentium: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum* (1. Cor. 13, 2). Quæ major fides, quam illa, quæ virtutem habet transferendi montes ex uno in alium locum? Hanc tamen fidem, si bona opera non eliciat, ita inutilem censet Apostolus, ut fateatur, quod licet sibi a Deo data esset fides cujus virtute montes ex uno in alium locum

transferret, inutilis sibi esset hæc fides, ipseque nihil esset, si hæc fides charitatis opera non eliceret. Quod certissimum est; quia, ut ait Augustinus, *fides sine operibus charitatis esse potest, prodesse non potest*. Plerique Christiani, adventiente rationis usu, fidei, quam simul cum Baptismo receperant, bonis operibus fecundam facere non curant, quin contra plerumque horrendis se dedunt vitiiis, in quibus toto vitæ tempore perseverant. His autem fidem in Baptismo percepisse nihil proderit, quia fides sine bonis operibus non solum diabolica, et mortua est, sed etiam vana et inutilis, nec quomodocumque prodesse potest: *fides sine operibus charitatis esse potest, prodesse non potest*. O fratres dilecti inquirete nunc sedulo, an sit in vobis fides: *vosmetipsos tentate, si estis in fide; ipsi vos probate* (2. Cor. 13). Timeo, ne in vobis exinanita sit fides: *exinanita est fides*. Exinanita quidem est apud hæreticos, qui a fide catholica aberrant; exinanita est apud Novatores, qui Phariseorum instar sub ovina pelle lupinam gerunt animam, et qui sub eximie pietatis specie, Christi tunicam dilacerant, ac Sponsam ejus Ecclesiam labefactare moluntur: exinanita est etiam apud inveteratos peccatores, qui in scelere suorum penam ita a Deo excecantur, ut in rebus fidei vacillent et titubent. Verum timeo, ne exinanita sit fides in plerisque eorum, qui Catholicam religionem profitentur: aut saltem, ne in iis sit solummodo fides otiosa, sterilis et infœcunda: propter hoc *vosmetipsos tentate, si estis in fide; ipsi vos probate*. Tentate, probate et serio inquirete, an fides in vobis sit fecunda, an vos ad bona opera faciendam trahat. Quod si fides vestra sit sine bonis operibus, dicite, fidem in vobis esse mortuam, vanam et quasi exinanitam.

Scis, o peccator, fide divina credendum quod futurorum sit generale judicium, in quo omnes apparebimus de cunctis vite nostræ actionibus rationem reddituri; ut recipiat unusquisque, prout gessit in corpore, sive bonum, sive malum: *credis hoc?* Certe hoc firmiter non credis, quia si hoc crederes, peccatis abrenuntiares, et bonis operibus sollicitè inumberes. Docet fides, esse Deum unicum beatitudinis nostræ objectum, ejusque solius

possessione nos posse beari: *credis hoc?* Non quidem; quia si hoc crederes, in temporalibus bonis, et in fedis libidinibus felicitatem tuam non constitueres. Fide divina certum est, Deum ubique esse præsentem, ratione immensitatis suæ: *credis hoc?* Est quod judicem, te hoc non vere credere, quia si hoc crederes, tot in conspectu ejus crimina perpetrare erubesceres. Credisne, Christum Dominum vere et realiter esse in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento? Timeo, quod hoc non perfecte credas, quia si eum ibi esse crederes, ad sumendum sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum frequentius et majore cum reverentia accederes. Alia non recensebo fidei catholice mysteria; sed ponderatis præfatis, et aliis fidei nostræ mysteriis, *vosmetipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate.* Si in vobis fidem non esse advertatis, eam a Deo supplices petite, eamque bonis operibus fœcundam facite; et fides vestra vos salvos faciet. *Amen.*

FERIA VI ANTE DOMINICAM PRIMAM.

DE AMORE INIMICORUM.

Diligite inimicos vestros (Matth. 5).

Ex omnibus Dei præceptis nullum nativæ homini propensioni ita repugnat, ut illud, quod ad inimicos corde, ore et opere diligendos adstringimur. Certum quidem, et hoc et omnia alia Dei præcepta ab hominibus servari posse, nilque impossibile a Deo esse præceptum; durum tamen est diligere illum, qui ex animo nos odit, qui famam nostram undequaque denigrat, qui sanguinem nostrum sitiit, qui vitæ nostræ insidias parat, et qui modis omnibus nobis nocere contendit. Norunt, qui experti sunt, quam durum sit benefacere iis qui nos persequuntur,

quamque difficile sit affectu christiano prosequi operum nostrorum sugillatores, virtutum nostrarum detractores, ac famæ, vitæ, et personarum nostrarum infensissimos hostes. Hoc norunt illi, et cum Augustino fatentur, quod *in justificationibus Domini nulla res sit difficilior, quam ut quisque suos diligat inimicos* (In ps. 118). Jamvero licet durum et grave sit hoc præceptum homini juxta corruptæ naturæ leges operanti; suave tamen fit jugum illud per Dei gratiam, quæ nulli deest; illudque leve censebit, qui serio perpendet urgentia motiva, quæ ad diligendos inimicos nos excitare debent. De quibus jam dicturi sumus. *Ate.*

Malum pro malo reddendum, et vindictam de inimicis suamendam, suadent dæmon, mundus, prava consuetudo, et natura corrupta: ut ergo de iis triumphemus, utque ad inimicorum amorem alliciamur, urgentia motiva quisque in mente habere, et sibi præfigere debet. Ante Christi adventum nonnullis philosophis gentilibus magnum amoris inimicorum motivum erat vitæ probitas; quam sine hoc amore non posse esse credebant, dicentes, virum illum non esse bonum, qui diuturna in hostes suos concitatur ira, quia *apud virum bonum cito moritur iracundia* (Temist.). Aliis quibusdam gentilibus magnum amoris inimicorum motivum fuit magnanimitas, et ideo dicebat Seneca: *Magni animi proprium est tranquillum esse, placidumque offensas et injurias remittere* (De clem.). Alii ad amorem inimicorum alliciebantur ex honoris et gloriæ motivo; censescentes, nil gloriosius, quam in seipsis ire et vindictæ motus comprimere. Dicebantque, illum esse fortiorem qui se, quam qui urbes munitissimas, et copiosos exercitus vincebat: *fortior est qui se, quam qui fortissima vincit mœnia.* Iis omnibus motivis quilibet Christianus ad amandos inimicos excitari debet: attamen urgentiora hujus amoris motiva habemus in Christo, qui præcipit, qui amat, et qui punit: *qui præcipit*, ut inimicos diligamus: *qui amat* inimicos: et *qui punit* eos, qui inimicos oderunt. Dicamus ergo amandos esse inimicos: 1. Quia Christus inimicos amare præcipit; 2. quia Christus inimicos amat; 3. Quia Christus eos qui inimicos ode-